

*Lettera di sicurtà a favore dei capitani
senesi e dei loro inviati nel regno.*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Lettera di sicurtà a favore dei capitani
senesi e dei loro inviati nel regno.*

1265-07-21

Karolus, filius Regis Francie, dei gratia Rex Sicilie Ducatus Apulie et Principatus Capue, alme Urbis Senator, Andegavie Provincie et Forcalquerii Comes. Universis Christi fidelibus presentes licteras inspecturis vel audituris salutem et omne bonum.

Noverit universitas vestra quod Nos, attendentes sinceram devotionem Guelforum civitatis Senensis, fidelium nostrorum, qui dampnata Manfredi quondam Principis Tarentini suorumque fautorum consortia declinantes, Romane Ecclesie ac Nobis constantiam et firmitatem adhererunt plenam, eis universis et singulis, Capitaneis vel Capitaneorum [nunciis?] ipsorum, licteras per quas quod sint de nostris fidelibus appareat deferentibus, per totam terram totumque districtum nostrum securitatem, tam in personis quam in rebus, presentium tenore tribuimus. Ita quod per terram et districtum huiusmodi, per itinera consueta, ire libere valeant et redire suaque deferre mercimonia; salvo jure pedagii et alio quod de mercimoniis et rebus eorum Curie nostre debetur. Universis balivis et officialibus nostris, tam in ultramontanis quam in citramontanis partibus constitutis, firmiter inhibentes ne cives ipsos, in personis Vel rebus, in eundo morando et redeundo, offendere turbare vel molestare presumant. Proviso quod verbo vel licteris nil ferant vel referant quod sit nostre contrarium Magestati, et quod sub mercimoniorum suorum specie adversariorum et indevotorum Ecclesie ac nostrorum mercimonia non involvant. Presentibus post biennium minime valituris.

Datum Rome, XXI iulii, VIII indictionis, Regni nostri anno primo.